



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1859**

XXII. Markgraf Woldemar verkauft dem Herzoge Otto von Stettin Stadt und  
Land Bernstein für 7000 Mark Silber, am 27. August 1315.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55359)

XXII. Markgraf Woldemar verkauft dem Herzoge Otto von Stettin Stadt und Land  
Bernstein für 7000 Mark Silber, am 27. August 1315.

Ad glorie rei memoriam sempiternam. Nos Woldemarus, dei gracia Brandenburgensis et Lusacie Marchio, ad vniuersorum noticiam tenore presencium publice volumus peruenire, quod Inclito principi, Domino Ottoni, Duci Sthetynensi, patruo nobis karissimo eiusque legitimis heredibus, dimisimus et per presentes litteras dimittimus, Terram districtus Berenstein cum omnibus suis distinctionibus, terminis et limitibus, prout eandem illustris Albertus, pie recordacionis quondam marchio Brandenburgensis, noster patruus, nostris progenitoribus ac Nobis retroactis quibusdam temporibus dimisit, et cum omni honore, commodo, vtilitate et vsufructu, cum omnibus iuribus, seruiciis et vasallis, et cum vniuersis pertinentiis suis, scilicet precariis et aliis obuencionibus quibuscumque exinde provenire potentibus, cum agris cultis et incultis, lignis, aquis et aquarum decursibus, cum molendinis et cum vniuersis vtilitatibus intra distinctiones dicte terre contentis, prout Nobis, dum nostra fuit, competebat, ex nunc et in perpetuum debito et consueto pheidu titulo possidendam. Ita plane eciam, dicto patruo nostro et suis heredibus dicti Districtus dominium dimisimus et dimittendo contulimus, quod nec nos neque nostri heredes, si quos deo dante procreauerimus, aut successores in dicta Terra quicquam iuris aut actionis nobis possimus vel debeamus decetero vendicare. Premissis eciam est adiectum, quod omnes et singuli, habentes bona pheidalia pro seruiciis faciendis in predicto districtu Berenstein, licet alias in nostris Terris resideant, tamen prefato duci aut suis heredibus pro talibus bonis famulari dumtaxat et seruire simpliciter tenebuntur. In recompensam quoque dimissionis et collacionis predictae Terre per Nos rite facte predictus noster patruus dux Otto Nobis Septem mille Marcarum Brandenburgensis Argenti et ponderis in parata pecunia erogauit, de quibus ipsum et suos heredes quitos omnino dicimus et solutos, vt profitemur litteris presentibus, quibus in huius facti et premissorum omnium euidentis Testimonium nostrum sigillum firmiter est appensum. Huius eciam rei Testes sunt nostri fideles milites, Domini ludolfus, hasso et wedego seniores de wedele, hennyngus de Blankenborch, henricus, hennyngus et hinricus de Stegelitz, Petrus de Nuwenborch, hennyngus Bothel, hennyngus de Eykstedde, Zabellus de Badelo et quam plures alii fidedigni. Actum et Datum prope duas Rotas, Anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XV<sup>o</sup>., die beati Rufi martyris.

Klöben's Woldemar II, S. 512—513. — Vergl. die Urkunde Woldemar's über diese Abtretung vom 30. August 1315 in Hauptst. II. Bd. I, S. 374.

XXIII. Die Stadt Bernstein bekundet, daß sie dem Markgrafen Ludwig gehuldigt habe,  
am 5. Februar 1328.

Wy Ratman vnd gemeine von der stad zu Bernstein bechennen openbar in diseme openen brife, dat wi dem hochgebornin Furstin marggreuin Ludewig von Brandinburg mit gutim